

cilium *Osense*, in quo duo itidem editi sunt Canones. Erat autem *Osca* in Tarraconensi Provincia Tarraconæ Metropoli subdita, quæ nunc habet Episcopum Casaraugustano suffraganeum, ut scribit *Garsias Loaisa* in notis ad Concilium *Lucense* sub Theodomiro Hispaniarum Rege congregatum. Denique, anno dxcix. habitum est sub sapienter laudato *Reccaredo* Hispaniarum Rege Concilium *Barcinonense*, in quo contra Simoniacos quatuor editi sunt Canones. Sed de Conciliis Nationalibus seu Provincialibus, quæ sexto Ecclesiæ sæculo in Occidente, præsertim in Gallis, & in Hispaniis celebrata sunt, sat superque hætenus dictum sit.

D. Ex tot Conciliis Nationalibus, seu Provincialibus, quæ sexto sæculo in Gallis, & in Hispaniis habita sunt, facile intelligo, Galliarum, & Hispaniarum Antislites de Disciplina Ecclesiastica optime meritos esse, cum ad illam conservandam, vel restaurandam tam ardenti zelo flagaverint. Nunc quales eodem sæculo fuerint præcipuarum Ecclesiæ Sedium Antislites, vehementer scire peropto.

M. Hoc de argumento opportunius differemus in proximo, quod crastina luce habebimus, Colloquio; in quo continuam seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes, videlicet Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam sexto sæculo occuparunt, exhibebimus.

COLLOQUIUM IV.

De Successione Episcoporum, qui sexto sæculo præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam occuparunt.

D. Seriem Episcoporum, qui quinto Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tenuerunt, terminasti jam, si bene memini, in *Symmacho*, qui, sicut observasti in Colloquio tertio in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, ordinatus fuit Pontifex Romanus die vigesima secunda mensis Novembris anni ccccxcviii. De Schismate, quod *Laurentius* Archipresbyter Ecclesiæ S. Prædix in electione *Symmachi* excitavit, & de Conciliis, quæ ad extinguendum illud Schisma sub *Symmacho* Papa fuerunt Romæ celebrata, plura in præcedentibus nostris Colloquiis dixisti, quæ hic repetere supervacaneum omnino esset. Quapropter his, ne actum agamus, prætermittis; ostende primo, quo pacto *Symmachus* sese in Pontificatu gesserit, & quot annis Sedem Romanam tenuerit?

M. Sanctissime in suo Pontificatu sese gessit *Symmachus*, multisque virtutibus emicuit. Manichæos Apostolico zelo insectatus est, eosque Roma expulit. Captivos Christianos per Liguriam, Mediolanum, & per diversas Provincias dispersos pecuniis redemit. Episcopis Africanis in Sardinia exulibus vestes, aliaque id genus ad vitium necessaria singulis annis suppeditavit. Basilicas Sanctorum complures Romæ a fundamentis erexit, instauravit, amplificavit, exorna-

vit. *Anastasium* Imperatorem *Acacii* Episcopi olim Constantinopolitani memoriam, & Hæreticis Concilii Chalcedonensis hostibus communicantem atque aperte faventem excommunicavit. Antiqua Sedis Apostolicæ decreta, præsertim S. Leonis Papæ, circa jura Ecclesiarum Arelatenfis, & Viennensis, ad petitionem S. Cæsarii Episcopi Arelatenfis, qui Romam ad Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina venerat, observari iussit. Varia denique Ecclesiasticæ Disciplina sancivit Capita, quæ legi possunt in ejus Epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum. Sedit *Symmachus* annos quindecim, menses septem, ut testantur *Ordericus*, *Luitprandus*, *Regino*, *Catalogus Vaticano-Palatinus*, & varii Codices MSS. obiit die decima nona mensis Julii anni dxxiv. ejusque nomen sacris Ecclesiæ Fastis adscriptum est xiv. Kalend. mensis Augusti.

D. Quem in Sede Romana successorem habuit *Symmachus*?

M. Mortuo *Symmacho*, cessavit Pontificatus dies septem, sicut scribit *Anastasius* Bibliothecarius, & die xxvii. mensis Julii anni dxxiv. *Symmacho* successit *Hormisdas*, qui anno sexto Pontificatus sui, seu anno dxxix. Ecclesiam Orientalem, propter damnationem *Acacii* Episcopi Constantinopolitani, ab Ecclesia Romana jam diu dissidentem, redintegrata pace, ad communionem, & unitatem tandem aliquando revocavit. Anno etiam nono sui Pontificatus, seu anno dxxxii. ingenti gaudio perfunctus est *Hormisdas* quod Africani Episcopi, quos *Trasamundus* Vandalorum Rex in Sardiniam relegaverat, ab *Hilderico* Trasamundi successore, ad natale solum, post annos exilii viginti septem, fuerint revocati, & ab ipsis in integrum restitutus Ecclesiæ Africanæ status. Tumultuantes in Oriente Monachos Scythas, tanquam superbos, perveraces, & contentiosus seditionibus pacem Ecclesiæ perturbantes, coarguit, & compescuit idem Summus Pontifex, sed tamen nunquam ex Cathedra damnavit hanc propositionem, quam prædicti Monachi acriter propugnabant: unus e *Trinitate crucifixus est*, immo hanc propositionem ne quidem examinare, nedum damnare voluit *Hormisdas*, utpote hanc disceptationem in tempestivam judicans, & turbandæ potius Ecclesiæ, quam ædificandæ opportunam. Collapsam in Hispaniis Ecclesiasticam Disciplinam, scripta ad illius Ecclesiæ Episcopos Epistola, reformavit. Ab Episcopo *Possessore* consultus de Doctrina *Fausti* Episcopi Rejenfis circa Gratiam, respondit Romanus ille Pontifex avitæ doctrinæ tenax, doctrinam *Fausti* de Gratia non recipi ab Ecclesia, sed standum esse doctrinæ S. Augustini, & ex ejus libris hauriendam esse veram de Gratia Christi doctrinam. Sedit *Hormisdas* annos novem, & dies undecim, ut legitur in multis Catalogis, præsertim in duobus Pontificum Romanorum Catalogis, quos edidit doctissimus *Mabilionius* tom. III. veter. Analect. obiit die sexta mensis Augusti anni dxxxiii.

Post mortem *Hormisdæ* vacavit Sedes septem dies, ut scribit *Ordericus* lib. 2. & die decima tertia

tertia mensis Augusti anni dxxxiii. Joannes I. natione Etruscus ejus successor Pontifex Romanus ordinatus est. Is est, qui, sicut in præcedentibus Colloquiis jam observavimus, jussu *Theodorici* Italiæ Regis, Secta Ariani, Constantinopolim ire, & Legationem apud *Justinum* Imperatorem obire coactus est, ut eum a vexandis in Oriente Ariani deterreret. A *Justino* Imperatore perhonorifice quidem exceptus est *Joannes*, sed Constantinopoli redux, inhumaniter a *Theodorico* Rege habitus est, & in carcerem conjectus, ubi ærumnis confectus, Martyr occubuit die xxviii. Maji anno dxxxvi. Sedit igitur *Joannes* I. annos duos, menses novem, & dies sex, ut tam dies ordinationis, quam dies mortis ejus demonstrant. Duæ Epistolæ *Joanni* I. tribuuntur, quas tamen periti Critici supposititias esse arbitrantur. Prima est ad *omnes Italiae Episcopos* scripta. Sed illam genuinam non esse, ex eo maxime probatur, quod hæc Epistola data fingitur 111. Idus Junii, ad quem tamen diem *Joannes* Papa non pervenit, quippe qui mortuus est die xxviii. Maji. Dicitur etiam hæc Epistola data *Maximo*, & *Olybrio Consulibus*, qui tamen diversis annis consularum gesserunt. Altera Epistola, quæ *Joanni* Papæ tribuitur, directa est ad *Zachariam* Archiepiscopum. At illa, non secus ac prior, seu supposititia exploditur; tum quia data dicitur xv. Kalendas Novembris, *Maximo*, & *Olybrio Consulibus*, qui tamen, ut mox diximus, non simul, sed diversis annis consularum gesserunt; tum quia etiam hæc Epistola consarcinata est ex variis locis Epistolarum *Innocentii*, & *Zosimi*, *Symmachi* Summorum Pontificum, & *Ennodii* Episcopi Ticinensis, ut jam viris doctis fuit observatum.

Theodoricus Italiæ Rex post mortem *Joannis* I. Papæ jus eligendi Pontificis Romani sibi attribuit. Unde interjecto ab obitu *Joannis* Papæ Interpontificio LV. dierum, *Felicem* IV. Clero, Senatui, Populoque Romano proposuit. Diu quidem illi resistit Clerus, sed tandem vitandi Schismatis causa consensit, ut liquet ex *Athalarici* Italiæ Regis, qui *Theodorico* successit, Epistola ad Senatui scripta, quam recitat *Baronius* descriptam ex *Cassiodoro* lib. VIII. Epist. xv. *Felix* itaque hujus nominis IV. Pontifex Romanus die xii. mensis Julii anni dxxxvi. ordinatus est, & præclaris virtutibus exornatus, atque sanctitate insignis Ecclesiam sapientissime rexit. Sedit, juxta accuratorem doctissimi *Pagii* Chronologiam, annos quatuor, & menses sex, obitque xiv. Kalendas Octobris, seu die xiiii. mensis Septembris anni dxxx. Circumferuntur duæ *Felicis* IV. Epistolæ, quarum prima dicitur data Kalend. Martii, *Lampadio* & *Oreste* Coss. Altera xii. Kalend. Novembr. *Lampadio* & *Oreste* Coss. Verum utramque Epistolam ut supposititiam rejiciunt viri eruditi. Primo, quia ambæ continent phrasas posteriorum sæculorum, & sententias ex Epistolis Sancti *Gregorii* Magni excerptas, vel aliunde emendicatas. Secundo, quia *Felix* IV. in vivis non erat xii. Kalend. Novemb. qua tamen

temporali nota inscribitur una ex illis Epistolis. Denique, si quis duas illas Epistolas contulerit cum genuina illa Epistola, quam *Felix* IV. ad *Cæsarium* Arelatensem Episcopum scripsit, de *Laicis ad Sacerdotium ante probationem non promovendis*, compertum ac exploratum habebit ex styli dissimilitudine hæc duas priores Epistolas *Felicis* IV. perperam vindicari. (a)

(a) „ *Agnellus* Ravennatensis sæculi IX. Scriptor in suo Pontificali Ravennatensi ad vitam „ S. Ecclesiæ Ravennatensis Episcopi affert integram Epistolam *Felicis* IV. Papæ ad eundem „ Ecclesiam, in qua plura sancuntur in optimum „ regimen ejusdem Ecclesiæ. Mandat enim in ea „ Pontifex promoveri ad ordinem Clericorum vitæ „ & conversationis probatæ viros; Clericos „ lentes dumtaxat, & denuntiatos vocandos esse „ ad Ordines altiores, nempe Presbyteri, & Diaconi; neve Presbyteri, vel Monachi patrocinium potentium efflagitent ad altiorum ordinem & locum obtinendum. Quarta portio dicitur „ distribuatur in Clericos omnes eos, quibus erogari „ vi est debitum. Demum districtè vetat, ne Clerici spectaculis intersint. Addit insuper Clericos prædia Ecclesiæ urbana, vel rustica conductas illa habeant sub justa pensionis æstimatione, ita tamen ut quod modis (commodis) „ suis solent accipere, ipsi teneant; quod superest „ Ecclesiasticis inferant compendii profuturum. „ Nonnulla etiam de Notariis edicit, ut in „ tegra fide instrumenta de rebus Ecclesiæ conficiant; ut præsto sint ea exhibere, cum res „ poposcerit. Si qui habent res ab Ecclesia conductas, nec eas tenent, ut egestati suæ provideant, reddant Ecclesiæ, nec retinere sibi audeant. Monasteria utriusque sexus ab Episcopo „ ordinentur &c.

Post mortem *Felicis* IV. vacavit Sedes dies tres, & *Bonifacius* II. patria Romanus consecratus est die vicesima prima mensis Septembris anni dxxx. De *Dioscori* Schismate adversus *Bonifacium* II. quod statim *Dioscori* morte extinctum, est legendus est *Baronius*, sicuti & de *Bonifacii* II. Epistola ad *Euladium* Alexandrinum Episcopum de reconciliatione Carthaginensis Ecclesiæ, quam supposititiam, & adulterinam esse ostendit Eminentissimus ille *Annalium* parens, non solum quia contexta est ex verbis Romanorum Pontificum S. Leonis, *Hormisdæ*, & S. *Gregorii* Magni, sed etiam quia illius Epistolæ consarcinator ineptissime fingit *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, & cæteros Ecclesiæ Africanæ Antislites, adeoque & S. Augustinum, *Bonifacii* I. & *Cælestini* I. temporibus, instigante Diabolo, contra Ecclesiam Romanam insurrexisse, & eo ab hinc tempore Africanam Ecclesiam a Romanæ communionem fuisse divisam usque ad Pontificatum *Bonifacii* II. quod sane putidum mendacium esse, nemo est tantisper in Historia Ecclesiastica versatus, qui statim non videat. Quare jure merito prædictam *Bonifacii* II. Epistolam non solum *Card. Baronius*, sed omnes, quotquot sunt hujus ætatis viri eruditi, tanquam spuriam rejiciunt. Synodum *Arausicanam* II. in qua *Semipelagiani*

fuere damnati, confirmavit Bonifacius II. & sub illius Pontificatu tres Romæ habitæ sunt Synodi, quarum duas ex Anastasio Bibliothecario explicat Baronius, post cuius mortem *Holfenius* Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in Collectione Romana tertiam Synodum eruit, quæ celebrata est anno DXXXI. Demum, Bonifacius II. sedit annos duos, & dies viginti sex, obiitque die XVII. mensis Octobris anni DXXXII.

Vacavit Sedes post mortem Bonifacii II. dies LXXVI. sicut ex multis vetustis Catalogis ostendit doctissimus *Pagius* ad annum Christi DXXXI. quapropter *Joannes* hujus nominis II. cognomento *Mercurius*, patria Romanus, Anno DXXXII. ordinatus fuit Pontifex die XXXI. mensis Decembris, quæ *S. Sylvestro* Romæ sacra erat. Simonæ labem, quæ in electionibus Episcoporum, & Romanorum Pontificum grassabatur, omnino tollendam, ac radicibus extirpandam curavit *Joannes* II. Hanc propositionem, quam Monachi Scythæ mordicus tuebantur: *unus e Trinitate passus est carne*, sua auctoritate approbavit, & *Acemetas* Monachos, qui eam, ceu Hæreticam, acrius insectabantur, habitæ Romæ Synodo damnavit, atque de illorum damnatione litteras ad Justinianum Imperatorem, & ad Senatores dedit. Pontificatum tenuit *Joannes* II. annos duos, menses quatuor, dies viginti sex, & mortuus est VI. Kalend. Junii, seu die vicésima sexta Maji anni DXXXV. Epistolam *Joannis* II. ad *Valerium* Episcopum supposititiam esse manifesto probant *Ithacii*, & *S. Leonis* sententiæ in illam intrusæ, stylus ab eo, quo aliæ genuinæ ejusdem Pontificis Epistolæ exaratae sunt, plane diversus, mendax Consulatus nota, & summus omnium virorum eruditorum consensus.

Post mortem *Joannis* II. vacavit Sedes dies sex, unde die tertia mensis Junii anni DXXXV. *Agapetus*, patria Romanus, electus & ordinatus est Pontifex Maximus, qui coactus est a *Theodoro* Gothorum Rege Legationem suscipere ad Justinianum Imperatorem, eum rogaturus, ut ex Italia exercitum suum summoerit. Nulla assurgente spe conciliandæ pacis, quam Justinianus barbaro Principi concedere noluit; supremæ suæ Ecclesiasticæ potestatis argumentum dedit *Agapetus*, dum Constantinopoli degeret. *Anthimum* quippe Hæreticum Eutylianum, quem, post *Epiphani* Patriarchæ Constantinopolitani obitum, *Theodora* Augusta Eutylianis partibus addicta, transferri curaverat, e Sede Constantinopolitana auctoritate Apostolica deiecit, & in ejus locum *Mennam* virum maxime orthodoxum subrogavit, sicut narrat *Liberatus* in Breviario cap. 21. Sedit *Agapetus* menses novem, die undeviginti, obiitque Constantinopoli, dum ad reditum in Italiam sese accingeret, die XXI. Aprilis anni DXXXVI. Sanctorum Fastis adscriptus est *Agapetus*, & colitur ad diem XXI. Aprilis in Martyrologiis MSS. Vaticano *S. Petri*, *Barbarino*, aliisque, & in Appendice ad Martyrologium Adonis.

Agapeto ad meliorem vitam translato, cessavit Sedes Pontificia dies quadraginta septem, ut ostendit *Cl. Pagius* ad annum DXXXVI. numer. XVI.

Quare *Silverius* die octava Junii anno DXXXVII. Pontifex Romanus consecratus est. Degebat adhuc Constantinopoli *Vigilius* Agapeti recens defuncti Diaconus & Apocrifarius. Is ambitionis actu abreptus pollicitus est *Theodora* Augustæ, se, si crearetur Pontifex, damnaturum Synodum Chalcedonensem, & *Anthimum* atque *Severum* restitutum. Hujus spe facinoris hamum devoravit *Theodora*, & *Vigilium* in Sedem Apostolicam intrudere molita est, scripsitque ad *Belisarium* Romani exercitus ducem, qui tum Romæ aderat, ut *Vigilium* Pontificem eligendum curaret. At jam *Silverio* sedente nihil factum, quam ut *Vigilius* ambitionosior videretur. Effrenatæ ambitionis suæ consilia non deposuit *Vigilius*, sed *Belisario* duo auri centenaria pactus, & ab Imperatrice *Theodora* commendatus obtinuit tandem, ut *Silverius* Pataram in exilium mitteretur, & ipse in ejus locum intruderetur. Verum, hanc injustam depositionem cum non approbasset Justinianus Imperator, sed *Silverio* legitimo Pontifici Romam redire jussisset, non permisit *Belisarius*, ut *Silverius* suam Sedem recuperaret, sed Sanctissimum illum Pontificem *Vigilio* ipsius æmulo, ejusque Sedis invalori inhumaniter tradidit, a quo in *Palmariam*, vel *Ponticum* Insulam deportatus est, ibique inedia confectus Martyr obiit die XII. Kalend. Julii, seu die XX. mensis Junii anni DXXXVIII. Epistola *Silverii* Papæ *Vigilio* inscripta, cujus initium: *multis te transgressionibus irretitum*, &c. supposititia est, ut facile colligitur ex styli barbarie, & falsa nota consulari, & ex sententiis emendicatis ex Epistola *Felicis* II. ad *Acacium* Episcopum Constantinopolitanum. Supposititia itidem est *Amatoris* Episcopi Augustodunensis ad *Silverium* Epistola, ut demonstrant mendax consularis nota, styli barbaries, phrasæ & sententiæ ex legibus *Honorii*, & *Arcadii* Imperatorum, ex *Leone*, & *Gregorio* Magno Romanis Pontificibus, & ex *Bonifacio* Episcopo Moguntino depromptæ, quæ tamquam laciniæ huic Epistolæ sunt affutæ. Denique, Epistola *Silverii* Papæ ad *Amatorem* pariter supposititia est, ut fateatur ipsemet *Baronius*, qui eandem censuram duabus præcedentibus *Silverii* Epistolis inurere debuissent.

D. Qui potuit *Vigilius* Pontificatum tenere, quem tot malis artibus adeptus fuerat?

M. Mortuo *Silverio* vero & legitimo Papa, Clerus *Vigilii* Pontificatui consensit, & illum, quem antehac, ceu Antipapam, execrabatur, legitimis habitis Comitibus verum Ecclesiæ Pastorem declaravit, tam *Belisarii* potentia coactus, quam Ecclesiasticæ pacis & unitatis studio permotus. Porro, quod mirum est, statim ac *Vigilius* Pontifex Romanus renunciatus est, in alterum virum mutatus est, Spiritus Sancti gratia, quæ tarda molimina nescit, intus in ipso operante. Quapropter omnia, quæ alias contra Synodi Chalcedonensis fidem ad *Theodoram* Augustam sacrilege scripserat, solemnī professione delevit, ut videre est in ejus Epistola ad Justinianum Imperatorem scripta, in qua quatuor Synodos Œcumenicas, & *S. Leonis* Epistolas se recipere, & secundum eas credere

dere professus est. Hac fidei professione *Vigilius* Papa *Theodora* Augustæ, quæ se delusam vidit, odium sibi confavit, & occasione trium Capitulorum, quæ in quinta Synodo generali fuerunt proscripta, gravissima incommoda passus est, quæ in præcedentibus nostris Colloquiis jam a nobis sat superque descripta denuo hic attingere, superfluum omnino esset. Mortuus est *Vigilius* Papa in Sicilia, dum Romam rediret, oppressus dolore calculi anno DLIV. ut colligitur ex *Marcellini* continuatore, qui mortem *Vigilii* Papæ illigat anno post *Basilii* Consulatum decimo tertio, qui concurret cum prædicto anno DLIV. (a).

(a) Catalogus vetustissimus Romanorum Pontificum, ceptus ab *Hormisda* & cum *Vigilio* absolutus, verbis istis clauditur: *Vigilius* sedit annos decem & octo, menses duos, dies novem. Moritur in Syracusis secunda feria, nocte, septimo Idus Junias indictione tertia. Quibus ex verbis censet *Blanchinus* in enarrat. *Pseudo-Atthanasiana*, qui hunc correctiorem evulgavit; cum apte luce publica donatus fuisset ab ejus Patro *Francisco* *Blanchino*, censet, inquam, authorem hujus vixisse circa annum DLV. Porro hinc dicimus locum, annum, mensem, diemque emortuale *Vigilii*: obiit enim Syracusis an. DLV. die I. & mense Ibi indicatis. Inde pariter interre licet *Vigilium* dies Sedis suæ computare cœpisse ab anno, quo ordinatus est *Silverio* adhuc vivente, die postera, qua ille (*Silverius* scilicet) in exilium actus est.

Vigilium Papam excepit *Pelagius* hujus nominis I. die undecima mensis Aprilis anni DLV. sedit annos quatuor, menses decem, dies decem & octo, obiitque die I. mensis Martii anni DLX. Recte observat *Cardinalis* *Baronius*, Epistolam *Pelagii* ad *Vigilium* Episcopum suspectam esse, tum quia ex *Ithacii*, Sanctique *Leonis* verbis contexta est; tum quia etiam falsa est consularis nota.

Post *Pelagii* Papæ mortem cessavit Sedes menses quatuor, dies XVII. & *Joannes* hujus nominis III. Pontificatum inivit die XVIII. mensis Julii anni DLX. Ecclesiam Romanam gubernavit annos XII. menses XI. & dies XXVI. obiitque die XIII. mensis Julii anni DLXXIII. Epistolam *Episcopis* per Germaniam, & Gallie Provincias constitutis, quæ dicitur a *Joanne* Papa III. scripta, commentitiam esse post *Baronium* omnis eruditorum ratio profitetur.

Joanne III. e vivis sublato, fuit Interpontificium mensium decem, viginti & unius dierum, ac die tertia mensis Junii anni DLXXIV. *Benedictus* hujus nominis I. a Græcis *Bonofus* nuncupatus, natione Romanus, ordinatus est Pontifex. Tam diuturni Interpontificii causa in tumultus a Longobardis Italiam tum temporis turbantibus excitatos referenda videtur. Sedit *Benedictus* an. IV. mensem I. dies XVIII. & e vivis excessit, die XXX. mensis Julii anni DLXXVIII. Existimavit *Card. Baronius*, Epistolam, quæ tribuitur *Benedicto* I. & directa est ad *Davidem* Episcopum, genuinam esse; quam tamen adulterinam & Pseudepigrapham esse, utpote falsa consularis no-

ta obsignatam, fatentur periti hujus temporis Critici.

Post mortem *Benedicti* I. vacavit Sedes menses quatuor, & die tricesima mensis Novembris anni DLXXVII. Divo *Andræ* Apostolo sacra *Pelagius* II. Pontifex Romanus fuit ordinatus. Sedit annos XI. menses II. dies X. & migravit e vita die octava mensis Februarii anni DXC. Epistola *Pelagii* II. ad Episcopos per Campaniam, & Italia Provincias scripta, supposititia est, & confata ex variis sententiis *Prosperi*, *Hilarii*, *Acacii*, *Ennodii*, *Conciliorumque*, *Romani* sub *Symmacho*, *Tolentani* VIII. & *Lateranensis* sub *Martino* I. Ejusdem farinae esse fragmentum Epistolæ ejusdem *Pelagii* ad *Benignum* Archiepiscopum, Epistolam ad *Joannem* Constantinopolitanum, & Epistolam ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ de novem Præfationibus inter *Missarum* solemnia decantandis, censent viri eruditi.

Denique, post *Pelagii* II. obitum, cessavit Pontificatus menses VI. dies XXV. & die tertia mensis Septembris anni DXC. *Gregorius Magnus* hujus nominis I. consecratus est Pontifex Romanus. Is est, qui *Donatistas* in Africa compressit, Schisma in Ecclesia occasione damnationis trium Capitulorum exortum abolere pro viribus studuit, *Joannis* Constantinopolitani Episcopi, se *Œcumenicum*, seu *universalem* Episcopum inscribentis, factum coercuit; nec voluit ipse Episcopos *universales* appellari. Salutis animarum sitientissimus, *Augustino* viro sanctissimo, aliisque Monachis in Angliam missis, Gentis hujus conversionem adgressus est, & ad optatum exitum feliciter perduxit. Disciplina Ecclesiasticæ instaurandæ cupidissimus, sedulo curavit ut digniores ad Episcopatus & Beneficia promoverentur; Simonæ labes, in electionibus penitus extirparetur, Beneficiorum pluralitas tolleretur, Viduæ, pauperes, & Pupilli non opprimerentur; Episcoporum jura illæsa servarentur, & Disciplina Monastica in omnibus Cœnobiis perfecte vigeret. Is denique fuit, qui totus germanæ pietati alendæ & avitæ fidei tuendæ deditus, Officia Ecclesiastica, cantum, & *Missa* ordinem in meliorem formam redexit, Stationes per Basilicas & Cœmeteria Martyrum sollicitus ordinavit; in admonendis de officio Principibus, eorumque legibus temperandis Apostolicam prædixit libertatem; *Serenum* Massiliensem Episcopum, ob contractas Imagines, redarguit; dumque Constantinopoli, antequam Pontifex eligeretur, munere Nuncii Apostolici sub *Pelagio* II. fungeretur, cum *Eutybio* illius urbis Episcopo, qui corporum resurrectionem negabat, congressus est, eumque egregie confutavit, ac palam erroris convictit. Uno verbo, *S. Gregorius* sanctimoniam & doctrinæ fama adeo claruit, ut *Magni* cognomento decoratus, Ecclesiæ Sanctissimus Doctor habeatur. Eum fuisse Monachum in confesso est apud omnes, sed an *S. Equitii*, vel *S. Benedicti* Regulam fuerit professus? Is adhuc sub judice est. *Baronius* in Annalibus, *Henschenius* & *Papebrochius* Societ. Jesu in Prolegomenis ad Vitam *S. Gregorii* in Actis Sanctorum mensis Martii ad diem

diem XII. negant, S. Gregorium fuisse professum Regulam S. Benedicti; affirmat vero doctissimus P. Joannes Mabillonius tom. 1. sæculi Benedictini, tom. 2. veterum Analect. in Dissertatione de Vita Monastica Gregorii Papæ I. & in Appendice secunda in calce tom. 1. Annalium Benedictinorum. Tot inter viros eruditos, quos impense veneror, nolo meum interponere iudicium. Nec certe is sum, qui tantam velim, aut possim componere litem. Sedit S. Gregorius annos tredecim, menses sex, dies decem, & ad Deum migravit die XII. mensis Martii anni DCIV. qua die a fidelibus colitur. Plura legis in Vita S. Gregorii Magni, quam accurate & eleganter descriptam doctissimi Patres Benedictini Congregationis S. Mauri præfixerunt quarto tomo recentis illius Operum Editionis, quam secundis curis adornarunt. Nos vero de Operibus, quæ edidit S. Gregorius Magnus Papa, data opera in proximo Colloquio differemus.

D. In hac ferie Pontificum, qui sexto sæculo Sedem Romanam tenuerunt, nihil obscurum & implexum apparet, sed potius anni Ordinationum & obitus singulorum Pontificum suis locis accurato ordine digeruntur ac disponuntur. Exhibe nunc seriem Episcoporum, qui sexto sæculo præfuerunt Ecclesiæ Alexandrinæ, quorum successione in Colloquio tertio in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi terminasti in Joanne Mela, seu Hemula Episcopo Alexandrino, Hæretico Eutychno, qui vita functus est anno circiter quingentesimo sexto?

M. In texenda serie Episcoporum, qui sexto sæculo præfuerunt Ecclesiæ Alexandrinæ, sequar Chronotaxim doctissimi Pagii, quæ mihi præcæteris aliis magis probatur. Joannem itaque Melam, seu Hemulam Episcopum Alexandrinum Hæreticum Eutychnianum circa annum DVI. defunctum excepit Joannes Nicæota Hæreticus etiam Eutychnianus, qui præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ annis XI. & obiit anno DCVII. Joanne Nicæota demortuo, Dioscorus junior Hæreticus quoque Eutychnianus, Episcopus Alexandrinus renunciatus est, qui, postquam sedisset duos annos, menses duos, & dies viginti, discessit e vivis die octava mensis Octobris anni DCIX. Dioscoro juniore in Sede Alexandrina susceptus est Timotheus Hæreticus itidem Eutychnianus, qui Ecclesiæ Alexandrinæ præfuit annos XVII. menses duos, & dies XIV. obiitque die septima Februarii anni DCXXVII.

Post Timothei Alexandrini Episcopi obitum, Theodosius, & Gajanus Hæretici Eutychniani de Sede Alexandrina altercati sunt. Gajanus stabat ab iis, qui Corpus Christi Domini ante resurrectionem incorruptibile fuisse pertendebant. Theodosius vero Chalcedonensem Synodum Œcumenicam non recipiebat; indeque Alexandria civitas duas in Sectas divisa est, Gajanitarum videlicet, & Theodosianorum, seu Incorruptularum, & Corruptularum, sicut testatur Liberatus in Breviario cap. 20. ubi hoc Schisma egregie describit. Verum, Gajanus per annum dumtaxat tenuit Episcopatum, & Theodosius post annum & qua-

tuor menses Sede Alexandrina ab Imperatore Justiniano dejectus est, & in exilium relegatus mense Novembri an. DCXXXVIII. Theodosio in Sede Alexandrina successit Paulus, qui anno circiter quingentesimo quadragesimo primo homicidii convictus e Sede pulsus est, & successorem habuit Zoilum, qui anno DLI. Sede quoque depositus est, & in ejus locum substitutus S. Apollinaris, qui annis XIX. Ecclesiam Alexandrinam rexit, & ad Deum migravit anno DLXIX. S. Apollinari successit Joannes, qui, postquam sedisset annos novem, obiit e vivis anno DLXXX. habuitque successorem S. Eulogium, qui XXVII. annis præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ, ac diem extremum clausit anno DCVII. Colitur S. ille Patriarcha die XII. mensis Septembris. Non minus doctrina, quam sanctitate claruit, ut videre est in Bibliotheca Photii Cod. CCVIII. CCXXV. CCXXXVI. CCXXXVII. CCXXX. & CCLXX. ubi multa ejus Operum fragmenta recitantur. Doctissimus etiam noster Combesius tom. I. Auctarii Bibliothecæ Græco-Latinæ pag. 651. publicavit Sermonem S. Eulogii Patriarchæ Alexandrini in diem Festum Palmarum, & in pullum Asiæ. Hæc est series Episcoporum, qui sexto nominis Christiani sæculo Alexandrinam Sedem tenuerunt.

Advertere tamen debes, Cardinalem Baronium Catalogo Episcoporum, qui sexto sæculo Ecclesiam Alexandrinam rexerunt, accensere quemdam Asterium Catholicum, quem anno DCXI. Ecclesiæ Alexandrinæ præfuisse affirmat. Verum, doctissimus Pagius ad annum DCXI. num. XVIII. probat, Asterium non fuisse Episcopum Alexandrinum, quia nec in Chronico Nicephori, nec in Tabulis Theophanis, nec in Historia Patriarcharum Coptitarum, nec in Chronica Victoris Tununenensis, nec in Breviario Liberati, nec in libro Leontii de Sectis Act. 5. qui Episcoporum Alexandrinorum seriem accurate digesserunt, nulla omnino Asterii Episcopi Alexandrini mentio fit. Præterea, ex serie Episcoporum Alexandrinorum, quam mox texui, constat Timotheum Eutychnianum Hæreticum præfuisse Ecclesiæ Alexandrinæ ab anno DCIX. usque ad annum DCXXVII. non potuit ergo Asterius Sedem Alexandrinam occupare anno DCXI. ut sibi persuasit Baronius. Non improbabilis tamen est conjectura eruditi Garnerii Soc. Jesu, qui in Notis in Liberatum cap. 19. autumat, Timotheum Episcopum Alexandrinum Hæreticum Eutychnianum cognominatum fuisse Asterium, eo quod Alexandrini post S. Cyrilli obitum cognomines Episcopos agnominibus discernere soliti essent; sicque Timotheum unum Ælurum, & alterum Salofaciolum nominasse, a quibus, ut tertium ejusdem nominis distinguerent, Asterium appellarunt (a).

„ (a) Garnerii animadversionem de duplici appellatione unius ejusdemque viri commentitiam reputat Assemanus, & ex eo ego in nota ad Colloq. II. hujus sæculi; ubi & potiorum reputavi ejusdem Assemani conjecturam, quod scilicet duo essent eodem tempore Alexandrinorum Patriarchæ; alter quidem ab Eutychnianis assum-

sumptus, nempe Timotheus; alter vero, Asterius nomine, datus Alexandrinis orthodoxis a Justino Imp. Patriarcha. Constanter enim Asterius Patriarcha dicitur a Metaphraste in Vita S. Arææ.

D. In Colloquio tertio, quod habuimus in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, exhibuisti seriem Episcoporum, qui Ecclesiam Antiochenam in quinto sæculo gubernarunt usque ad annum DCII. quo Flavianus Episcopus orthodoxus ab Anastasio Imperatore Sede Antiochena dejectus in exilium missus est, atque in ejus locum intrusus Severus Hæreticus Eutychnianus: nunc producere debes seriem Episcoporum, qui ab anno DCII. usque ad finem sexti sæculi eidem Ecclesiæ Antiochenæ præfuerunt.

M. Flaviano orthodoxo Episcopo anno DCII. ab Anastasio Imperatore Sede Antiochena dejecto, Severus Hæreticus die sexta Novembris ejusdem anni Sedem Antiochenam occupavit, & ipso ordinationis suæ die consensu pulpito, Concilium Chalcedonense damnavit. Verum, iste Hæreticus Antiochiæ Antistes damnatus in Synodo Constantinopolitana anno DCVIII. congregata, Sedem Antiochenam deserere coactus est mense Septembris anni DCVIII. postquam illam occupasset annos quinque, ac menses decem; indeque venit in Egyptum, & postea Alexandriam adiit. Severo Sede Antiochena, quam invaserat, abdicato, in ejus locum Paulus mense Junio anni DCIX. substitutus est, qui, postquam tribus annis incompletis sedisset, Episcopatu Antiocheno cessit, anno DCXI. eique successit Euphrasius, de quo Theophanes hæc habet: Euphrasius Antiochenus Chalcedonensis Synodi Parrum, & ipsius Papæ Romani nomina Diptychis expunxit. Postmodum metu poenitens reddidit, quatuor Synodos publice promulgavit. Justinus quippe Imperator initio Imperii sui lege lata sanxerat, ut Episcopi, qui Synodum Chalcedonensem suscipere detrectarent, Sedibus suis pellerentur. Hujus legis Imperialis meminit Liberatus in Breviario cap. 19. Euphrasius rexit Ecclesiam Antiochenam annis quinque, & obiit anno DCXVI. successorem habuit Euphremium, qui Episcopus Antiochenus ordinatus est anno DCXVII. & præfuit Ecclesiæ Antiochenæ septemdecim annis, hoc est, usque ad annum quingentesimum quadragesimum quintum. Euphremio eodem anno DCXIV. successit in Sede Antiochena Dominus, seu Dominus, qui quatuordecim annos sedit, & vita functus est anno quingentesimo quinquagesimo nono. Dominum, seu Dominum, excepit Anastasius I. qui, ut mox ostendam, diversus fuit ab Anastasio Sinaita, cum quo tamen Baronius perperam illum confudit. Hic Anastasius I. Sedem Antiochenam rexit annos undecim, hoc est, usque ad annum DLXX. quo anno a Justino juniore Imperatore Antiochena Sede dejectus est, & in ejus locum provectus est Gregorius Monachus, & Byzantinorum Monasterii Apocrifarius. At mortuo Gregorio anno DCXIII. postquam annos XXIII. Antiochiæ sedisset, rursus Anastasius I. Makritio Imperatore in Sedem

Antiochenam restitutus est die XXV. mensis Martii anni DCXIII. seditque post restitutionem suam sex annis incompletis, hoc est, usque ad finem anni quingentesimi nonagesimi octavi, quo anno mortuus est, eique successit Anastasius II. Martyr nuncupatus, eo quod in Judæorum conversionem ardentissimo zelo incumbens, ab illis per summam crudelitatem fuerit excarnificatus anno ineunte duodecimo Episcopatus sui Antiocheni, id est, anno DCIX. sub Phoca Imperatore. Hæc est series Episcoporum, qui sexto sæculo Ecclesiæ Antiochenæ præfuerunt.

Verum, quia nonnulli post Card. Baronium confundere solent Anastasium Patriarcham Antiochenum hujus nominis primum cum Anastasio Sinaita; ad istum præcavendum errorem non abs re erit, quatuor hic distinguere Anastasios, qui pietatis laude in Ecclesia celeberrimi fuerunt, quorum primus est S. Anastasius Presbyter Monachus Sinaita in Arabia, qui vixit in monte Sinai, & Monachorum Asceteris circumquaque oblitus fuit. Ejus memoria celebratur a Græcis die XXI. mensis Aprilis, & in quibusdam Menologiis die XXI. ejusdem mensis. Quantum pro Ecclesiæ Dei usque ad senectutem S. ille Monachus Anastasius Sinaita laboraverit, ostendunt varia ejus scripta, quæ, ut in proximo Colloquio videbimus, immerito Baronius, alique viri doctissimi tribuunt Anastasio Patriarchæ Antiocheno hujus nominis primo, quem male Sinaitam appellant, cum tamen Anastasius Patriarcha Antiochenus hujus nominis primus fuerit plane diversus. ab Anastasio Sinaita, ut docent Leo Allatus in Diatriba de Simeonum scriptis, Hensohenius ad diem XXI. mensis Aprilis in vita Sancti Anastasii Sinaitæ, & Sancti Anastasii Patriarchæ Antiocheni hujus nominis primi, alique recentiores doctissimi. Tertius Anastasius pietatis laude insignis, fuit Sanctus Anastasius Patriarcha Antiochenus, hujus nominis secundus, qui, ut mox observatum est, a Judæis per summam immanitatem excarnificatus est. Postremus Anastasius, qui sanctitatis fama commendatur, est Sanctus Anastasius Persa, qui anno DCXXVII. ad Chosroem Persarum Regem, quod Fidem Christianam negare nollet, perductus, illius jussu variis modis cruciatus, martyrio tandem coronatus est, multisque miraculis claruit. Ex hac itaque quatuor Anastasiorum distinctione, liquido patet, errasse illos Scriptores, qui Anastasium Patriarcham Antiochenum hujus nominis primum, cum Anastasio Sinaita confuderunt, & unum eundemque fecerunt.

D. Breviter, sed accurate descripsisti seriem Episcoporum, qui sexto sæculo Antiochenæ Ecclesiæ præfuerunt. Veniamus nunc ad Episcopos, qui eodem sæculo Ecclesiam Hierosolymitanam gubernarunt.

M. Seriem Episcoporum, qui Ecclesiam Hierosolymitanam quinto sæculo gubernarunt, perduximus usque ad Eliam Orthodoxum Episcopum, qui sicut jam commonstravi in Colloquio III. in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, jussu Anastasii Imperatoris, instigante Severo Episcopo Antiocheno